DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HYDROCEPHALO PHRENITICO.

Revd. John Grant
with best respects from
the Autho

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROCEPHALO PHRENITICO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS PATERSON,

SCOTUS.

" *Te precor, arcitenens, adsit tua laurea nobis,*
" *Carminis et medicæ* PHOEBE *repertor opis.*
" *Tu pariter vati, pariter succurre medenti:*
" *Utraque tutelæ subdita cura tuæ.*"

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1803.

VIRO INCLARESCENTI,

ALEXANDRO MONRO

TERTIO, M. D.,

ANATOMICES

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI DESIGNATO,

NULLI MAJORUM

FUTURA SPE

SECUNDO;

ET

VIRO ERUDITISSIMO,

ANDREÆ DALZEL,

LITERARUM GRÆCARUM

IN EADEM ACADEMIA

PROFESSORI,

LITERIS, FIDE, MORUM COMITATE,

ET REIPUBLICÆ STUDIO

CONSPICUO;

HANC DISPUTATIONEM,

GRATO ANIMO

MOTUS,

D. D. Dque

ROBERTUS PATERSON.

VIRO REVERENDO

FRATRIQUE CARISSIMO,

JOANNI PATERSON,

ALDEARNÆ

IN PRÆFECTURA NARNIENSI

S. T. P.;

ITEMQUE,

VIRO SPECTATISSIMO,

THOMÆ STEPHEN,

M. D.;

UTRISQUE VITÆ INTEGERRIMIS, DIGNIS

QUIBUSCUM MICES IN TENEBRIS

UTRISQUE,

CADUCUM HOC

PERENNIS AMORIS ET AMICITIÆ

MONUMENTUM,

EX ANIMO,

OFFERT

ROBERTUS PATERSON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO PHRENITICO.

PROOEMIUM.

§ I. ETSI duo, intra cranium, *hydrocephali* sunt, quorum unus PHRENITICUS, seu ACUTUS appellatur, alter LONGUS, seu CHRONICUS; quibusque pauci morbi periculosiores sunt curatuque difficiliores, atque ad quos cognoscendos medicinæ studiosi debent animos majore curâ attendere: nobis tamen consilium est de ACUTO tantùm scribere; et, sub finem, unam alteramve LONGI historiam, appendicis modo, subnectere.

II. Vetusti scriptores videntur hunc morbum parùm intellexisse. Eum enim, et morbum quem nunc medici nuncupant *hydrocephalum chronicum*, eodem nomine appellabant: quo fit, ut pauca ei propria ex eorum scriptis possimus colligere. Vixdùm, enimvero, centum amplius anni sunt, cùm medici animos attenderunt ad eum cognoscendum dignoscendumque, et ad causas indagandas undè oriatur.

III. PAISLEIUS *, chirurgus GLASGUENSIS, omnium primus, quantùm scimus, quibus cognoscatur signis hic morbus, luculenter descripsit. Post eum, WHYTTIUS adhuc fusiùs et accuratiùs narravit plurima mala, quibus mortales affligit; dein QUINIUS et RUSHIUS. Nostrâ ætate, pauci morbi sunt, quorum naturam medici meliùs intelligunt; pauciores adhuc, ad quos curandos minùs valet medicina.

CAP.

* Vid. *EDIN. Medical Essays*, vol. iii. art. xxiii.

CAP. I.

De Definitione.

IV. MORBUS, quem persequimur, à CULLENO definitur, "*Apoplexia paulatìm adoriens; infantes et impuberes, primùm lassitudine, febricula, et dolore capitis, dein pulsu tardiore, pupillæ dilatatione, et somnolentiâ afficiens* *."

V. In definitione, quam citavimus, quædam omisit CULLENUS, quæ adjici debent, nempè morbum nonnunquàm adultos afficere †; et, sub

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. Gen. xlii. Spec. 3.

† Vid. *LONDON Medical Observations*, Vol. iv.

sub finem, arteriarum motus adeò frequentes fieri, ut vix, imò haud rarò ne vix quidem, possint numerari.

VI. CULLENIANÆ definitioni morbi, quem agitamus, perpauca tantùm addidit GREGORIUS; à quo definitur, "*Apoplexia paulatìm adoriens;* "*infantes et impuberes plerumquè, primùm* "*lassitudine, febriculâ, et dolore capitis; dein* "*pulsu tardiore, tandem frequentiore, pupil-* "*læ dilatatione, et somnolentiâ afficiens* *."

VII. Morbi, quem nos persequimur, MORISONIUS, qui primus, quantùm scimus, *HYDROCEPHALUM PHRENITICUM* appellavit, adhuc magis auxit definitionem, quam ediderat CULLENUS. Ab eo hic *hydrocephalus* definitur, "*Inflammatio* encephali *paulatìm adoriens;* "*impuberes, rarissimè adultos et ætate floren-* "*tes, provectiores fermè nunquàm, afficiens,* "*primùm*

---

* Aud. GREGOR. *Prælect. De Medicin. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

"*primùm lassitudine, febriculâ, et capitis do-*
"*lore; dein pulsu tardiore et inæquali; de-*
"*mum pulsu frequentissimo at æquali, pupillæ*
"*amplificatione, et somnolentiâ: calore corpo-*
"*ris parùm, si omninò, cum arteriarum pulsu,*
"*variante* *."

VIII. *Hydrocephalus phreniticus*, ut observârunt nonnulli medici, infantes sanos, agiles, et vegetos, præ cæteris, afficit. Nonnunquàm autem imbecillos, ignavos et remissos adoritur; neque raró eos, qui parentum vitio scrofulæ opportuni sunt.

CAP.

---

* Vid. MORISON. Disput. Inaug. *De Hydrocephalo Phrenitico*, § XVII. EDIN. ann. M,DCC,XCIX.

CAP. II.

De Signis.

IX. WHYTTIUS, pulsu arteriarum accuratè observato, tempus, quod cursu implet hic morbus, in tria spatia dividit; et, hac in re, eum omnes ferè auctores imitati sunt. Nos itaque, cæteros secuti, propria cujusque spatii signa ordine narrabimus.

X. *SPATIUM PRIMUM.*—Ineunte *hydrocephalo phrenitico*, languet stomachus, et totum quidem corpus: animus demittitur: pallet facies: macrescit corpus: incalescit cutis. Febris simul oritur, quæ accessionibus inæqualis est, et vesperascente plerumquè die ingravescit. Arteriæ, tametsi raró validiùs solito micent, crebriùs tamen, plerumquè centies amplius sexagesimâ quâque horæ parte; imò nonnunquàm

nonnunquàm, ut à WHYTTIO accipimus, centies et quadragies *. At rarò tamen arteriæ tam citò moventur; atque nonnulli auctores, sicut WATSONIUS et FOTHERGILLIUS, asserunt, initio morbi, arteriarum motus non esse solito celeriores †.

XI. Increscente morbo, plùs plùsque languet stomachus. Lingua plerumquè sordida est: nonnunquàm tamen rubra et nitida, dum *aphthis* exasperetur. Æger sitit, præter solitum; et aliquandò vomit, modò semel bisve quotidie, modò semel tantùm biduo. Rarò accidit, si procedat, utì solet, morbus, quin vomitu plùs minùs æger vexetur.

XII. Dum urgent hæc mala, alvus astricta est; et simul adeò torpida, ut non possit citari, nisi magnis catharticorum dosibus. Nonnunquàm autem alvus astricta est, et soluta

---

* Vid. WHYTT. *Observations on the Dropsy of the Brain.*

† Vid. LONDON *Medical Observations*, vol. iv.

luta vicissim. Quæ descendunt, ea aliquandò fœtent, simulque subviridia sunt.

XIII. Ubì huc processum est, modò sinciput, supra oculos, vehementer dolet; modò vertex; modò alterutrum temporum: atque dolor, urgente nauseâ et vomitu, remittit; contrà, increscit, his remittentibus. Ubì, ut haud rarò, unum latus capitis magis, quàm alterum, dolet, in id, quod magis dolet, decumbit æger *. Dolet quoque cervix, imò nonnunquàm brachia, intestina et crura; atque, his dolentibus, aliquantùm remittit dolor capitis.

XIV. Hoc ferè tempore, oculi lumen refugiunt, et, luce admissâ, haud leviter dolent. Quinetiam aures, ut à RUSHIO accipimus, sonorum impatientes fiunt †. Nares arescunt et

* Vid. QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydrocephalo Interno.* EDIN. Ann. M,DCC,LXXIX.

† Vid. RUSH, *Medical Inquiries, &c.* Vol. II.

et pruriunt, neque raró eas unguibus carpit æger. Stridunt quoque dentes, inter somnum.

XV. *Spatium secundum*—incipit à tempore, quo arteriarum pulsus, ex celeribus et æqualibus fiunt tardi, et cùm vi tum temporibus inæquales. Tales fiunt, unam duas tresve hebdomadas, ante mortem. Hoc tempore, non solùm, quàm anteà, tardiores evadunt, sed haud raró, quàm solent, etiam in sano homine. Nihilo tamen minùs, quod sanè mirum, calor corporis et febris adeó non remittunt, ut intendantur.

XVI. Ubì eó perventum est, capitis dolor paululùm remittit. Ægri, anteà vigiles, nunc incipiunt esse somniculosi: atque, dummodó sint infantes, sæpè apponunt alterutram manuum, manusve utrasque ad caput, et lamentabiles gemitus edunt; neque tamen possunt rogati, quid sibi sit rei, percunctantibus dicere.

XVII. Eodem ferè tempore, oculi perverti incipiunt, modò nasum versus, modò tempora; atque ex re naturaliter unâ vident duas. Simul, vel saltem haud multò pòst, accedit delirium; neque raròægri, sicut perculsi lymphatico pavore, assidentes terrent plangoribus.

XVIII. Hoc ferè tempore, vomitus minùs urget; atque æger, sicut famelicus, nonnunquàm avidè devorat oblatos cibos. Haud rarò vermes dejiciuntur, aut, horresco referens, ore naribusve sponte erepunt; neque tamen æger eorum expulsione aut migratione ullâ malorum intercapedine fruitur. Nonnunquàm, at neutiquàm semper, perquàm fœtet anima.

XIX. Urina interdum cruda est; interdum naturalis, et copiosum sedimentum album deponit. Hoc tempore, aliquandò diem, vel diei partem, *hydrocephalici* malorum requiete fruuntur; adeò ut amici spe erigantur redeuntis

tis valetudinis. Brevi autem repetit morbus, quàm anteà, gravior. Quum ità sit, medici debent cavere, ne, fallace malorum remissione decepti, optatum morbi finem præsagiantur.

XX. *Spatium tertium*—incipit, ubì arteriarum ictus denuò fiunt celeres, et tam vi quàm temporibus æquales; quod plerumquè accidit, sex septemve dies, ante mortem. Hoc morbi tempore, arteriarum motus nonnunquàm celeres sunt, ultra quàm quod credere possunt inexperti medici: attamen, quippe cùm distincti temporibus, secùs ac sub finem continuarum febrium, sint, plerumquè possunt numerari. Whyttius, gravis auctor, fert, se, in uno *hydrocephalico*, ducentos amplius et decem arteriarum motus, sexagesimâ horæ parte, numerâsse; et addit, *hydrocephalicos* nunquàm mori, quamdiù arteriæ non centies et tricies, sexagesimâ horæ parte, micant*.

C[illegible]tum

* Vid. Whytt. *Observations on the Dropsy of the Brain.*

Centum nonaginta sex arteriarum motus, eâdem horæ parte, semel notavit Gregorius *. Celeritas, quâ, inveterato morbo, arteriæ micant, alia est aliis diei temporibus.

xxi. Sopore nunc obrui incipit æger. Excitatus aliena aut delira submissâ voce mussitat. Haud rarò unius oculi, dein alterius palpebra, nervis resolutis, motûs impotens fit. Pupillæ dilatantur, neque, præ nervorum torpore, vividissimâ luce sese contrahunt. Nonnunquàm tamen, etiam postquàm amplificatæ sunt pupillæ, admissà vivida lux oculis molestiam affert; undè possumus concludere, ægrum jam cæcum esse.

xxii. Hoc ferè tempore, quæ in oculis alba esse debent, ea rubent; et sanguis haud rarò destillat de naribus. Nonnunquàm sanguine in *telam cellulosam* effuso livet facies.

Una

* Aud. Gregor. *Prælect. De Medicin. Practic. in Acad. Edin.*

Una aliquandò gena rubet et calet, dum pallet et friget altera.

XXIII. Aliquandò omnes unà musculi rigent; aliquandò, sicut in morbo comitiali, convelluntur; aliàs tanquàm tremoribus singultiunt. Nonnunquàm æger uno latere captus est, altero convellitur. Purpureis interdum maculis variantur brachia et crura. Fæces et urina redduntur voluntatis injussu; atque æger, omnes musculos convulsus, fato concedit.

XXIV. Tempus, quod cursu occupat hic morbus, in aliis aliud est. Unâ nonnunquàm hebdomadâ ægrum rapit *. Plerumquè autem protrahitur per quatuor vel sex hebdomadas. Aliquandò, ut à GREGORIO accipimus, in tres menses perdurat †; imò, ut perhibet

---

* Vid. QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydrocephalo Interno.*

† Aud. GREGOR. *Prælect. De Medicin. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

hibet Monro Secundus, aliquandò quatuor *.

xxv. Priusquàm hanc rei nostræ partem ad finem perducimus, opus est observemus, mala, quibus mortales afficiat *hydrocephalus phreniticus*, non semper cursu perindè esse, ac narraverimus. Nonnunquàm enim usquè eò intermittunt, ut ægri haud parvum à *cinchonæ* cortice accipiant beneficium. Aliquandò, septem à primo accessu diebus, æger tollitur, cujus arteriarum pulsus primùm erant tardi et inæquales, dein celeres, tùm, ante finem, denuò tardi et inæquales ; cujus neque oculi lumen refugiebant, neque, nisi ultimo propè morbi die, amplificabantur pupillæ ; cujus neque dolebat caput, neque vomitu urgebatur stomachus.

CAP.

* Vid. Monron. Secund. *Treatise on the Brain.*

CAP. III.

De cadaveribus inspectis.

XXVI. PATEFACTIS cerebris eorum, quos superavit *hydrocephalus phreniticus*, vasa ferè semper oculis obveniunt sanguine turgida. Ea præsertìm *piæ matris* proindè inspicientium oculis videntur, quasi liquore tenui sanguinolento arte immisso impleta fuissent.

XXVII. Ventriculi simul cerebri, effuso humore oppleti, conspiciuntur. Interdum tamen, ut à QUINIO * et GREGORIO † accipimus, in cerebris eorum, qui, dum vivi, malis urgebantur, qualia ex humore in ventriculos effuso

* Vid. QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydrocephalo Interno.*

† Aud. GREGOR. Prælect. *De Medicin. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

effuso oriri putant medici, nihil, præter consuetudinem, quicquam conspicitur; nisi vasa sanguine admodùm turgida, et, incisâ substantiâ, puncta rubra plura, quàm in sanis cerebris esse solent.

XXVIII. Sæpissimè verò in uno, omnibusve simul ventriculis, conspicitur humor limpidus vel flavus. Ventriculorum lateralium unum humore distentum bis deprehendit Whyttius, dum alter parum humoris continebat *. Whyttius autem interdum †, et Monro compluries ‡, humorem aquosum in omnibus simul ventriculis conspicati sunt. Humor, si auctoribus credamus, nonnunquàm inter cerebrum, et membranas quæ circumcingunt, effunditur. Hujusmodi verò effusio rarissimè accidit.

XXIX. Effusus

* Vid. Whytt. *Observations on the Dropsy of the Brain.*

† Vid. Whytt. *Observations, &c.*

‡ Vid. Monron. Secund. *Treatise on the Brain.*

XXIX. Effusus humor aliàs copiâ alius est. Plerumquè uncias, à duabus ad sex, pondere æquat. Interdum autem multo abundantior est; et semel, ut certiores nos facit GREGORIUS, tantâ copiâ in ventriculis continebatur, ut pondere quindecim uncias æquaret.

XXX. Possit, necne, calore coagulari humor, qui in ventriculis cerebri deprehenditur, nondùm inter se consentiunt medici. Nonnulli, præcipuè WHYTTIUS *, posse negant. MONRO, BAILLEIUS †, aliique comperti sunt, acidis concrescere; at ægriùs, quàm aquam, quæ in cæteris hydropicorum cavis contineri solet. Ægriùs acidis idcirco coit, ut putat MONRO, quòd minus sanguinis *lymphæ* continet ‡; quæ sanè sola pars humorum aquoso-

* Vid. WHYTT. *Observations on the Dropsy of the Brain.*

† BAILL. *Morbid Anatomy.*

‡ MONRON. SECUND. *Treatise on the Brain.*

rum, in cava effusorum, est, quam acida cogere possunt.

XXXI. Tumores magnitudine varii, et haud rarò suppurati, nonnunquàm detecti in cerebro et cerebello sunt. Interdùm cerebrum, ex dimidia ferè parte, marcidum et quasi fracidum conspicitur. Pueri, quem abstulit morbus, de quo scribimus, et cujus caput patefecit PAISLEIUS, et morbida literis tradidit, in ea parte *duræ matris*, quæ sinistro *ossi parietali* subjacebat, tumor erat, majusculam avellanam magnitudine æquans; et plures alii congeneres tumores, at minoris magnitudinis, ex sinistra parte *superioris sinûs longitudinalis*. *Pia mater*, ubì *nervus opticus* cerebro exit, *duram matrem* crassitudine ferè æquabat; et, in partibus, ubì tumores erant, duæ hæ matres adeò cohærebant, ut non possent, nisi lacerando, separari. Ex ventriculis, incisione factâ, octo ferè unciæ sufflavi humoris effluxerunt; et *plexibus choroeidibus*, qui duri erant, vesiculæ plurimæ,

plurimæ, *hydatidibus* persimiles, in longitudinem ordinatìm adhærebant *.

XXXII. WHYTTIUS deprehendit, in dextro *thalamorum nervorum opticorum*, tumorem sufflavum et duriusculum, qui magnitudine minusculum ovum gallinaceum propè æquabat †. Tumorem huic similem, in cerebello, bis conspicatus est GREGORIUS ‡. Perhibent PETITUS et MONRO, se vidisse *glandulam pituitariam* duriorem, quàm sana soleat; et QUINIUS, *lymphaticas* colli glandulas multùm tumefactas.

CAP.

---

* Vid. *EDINBURG. Medical Essays*, vol. iii. Artic. XXIII.

† Vid. WHYT. *Observations on the Dropsy of the Brain.*

‡ Aud. GREGOR. Prælect. *De Med. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

CAP. IV.

De Causis.

XXXIII. Dictis signis, quibus cognoscitur *hydrocephalus phreniticus*, itemque morbidis, quæ apparuerunt in cerebris eorum, quos hic morbus abstulit; res postulat, ut, hìc loci, exponamus causas, tam abditas et evidentes ex quibus proveniat, quàm continentem seu proximam.

XXXIV. *Abditæ*—morbi, quem persequimur, causæ quæ sint, nondùm satìs constat. Prægressos morbos reddere infantes et pueros aptos, quibus obrepat *hydrocephalus phreniticus*, vero haud absimile est; cùm præsertìm hic morbus haud rarò subsequatur *variolam*, *rubeolam*, *scarlatinam*, et plures alios morbos qui impuberes adoriuntur.

XXXV. Strumosi,

XXXV. Strumosi, ut medicis haud paucis videtur, præ cæteris, huic morbo opportuni sunt: et haud inficiandum est, quin res observando cognitæ eorum opinionem verisimilem reddant. Ex duobus enim et viginti *hydrocephalicis*, quos vidit PERCIVALIUS, haud minus undecim manifestè strumosi erant; et tres alii, in quibus manifesta scrofula non apparebat, strumosâ tamen videbantur corporis constitutione *. Familiæ quoque mentionem fecit SAUVAGESIUS, ex qua nati omnes, nondùm sexennes, *hydrocephalo phrenitico* interiêrunt †.

XXXVI. Verùm concedendum tamen est, ex sanis parentibus, quibus nulla latent strumæ semina, natos haud raro *hydrocephalo phrenitico* corripi et perire. Namque maritus et conjux, ut à QUINIO accipimus, qui utrique à scrofula integri erant, omnes deinceps filiolos hoc

* Vid. PERCIVAL. *Medical Facts*, vol. i.

† Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* tom. i.

hoc morbo abreptos plorârunt, quorum tamen omnes filiolæ integræ pubuerunt *.

XXXVII. Sunt, qui censeant, tumores, qui in cerebris eorum conspiciantur, quos *hydrocephalus phreniticus* peremit, strumosos esse, et impuberes, quorum in cerebris crescant, aptos reddere, quos intercipiat hic morbus. Sed, quoniam, ut nobis saltem videtur, nondùm satìs constat, utrùm tumores gignat morbus, an morbum tumores, medici, de re etiamnum dubia, certò concludere non debent.

XXXVIII. Quum præcoces et vegeti infantes, quippe in quorum cerebra arteriæ cito motu sanguinem distribuant, præ cæteris, *hydrocephalo phrenitico* obnoxii sint ; et, quibus infantibus majuscula sunt capita, eos hic morbus rarissimè adoriatur ; opinionem proposuit MORISONIUS,

---

* Vid. QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydrocephalo Interno.*

Morisonius, quæ, si non omnes habeat veritatis numeros, ingenium saltem perolet. In re verò tanta, auctorem ipsum, pro me, ponam. " Nobis vero propius videtur, causam, quâ *hydrocephalo phrenitico* obnoxii fiant impuberes, esse præmaturam calvæ firmitatem, propter quam crescenti cerebro cedere recusat, et sic obstat, quò minùs hoc justam acquirat magnitudinem. Cerebri igitur, utpote quod mole minus sit, quàm pro vi cordis, et arteriarum quæ in caput sanguinem distribuunt, vasa perpetuò plena supra modum sint, necesse est. Quò fit, ut arteriæ ejus justo aptiores sint, quæ causis cor ac arterias incitantibus inflammationem concipiant, et, per surculos exhalantes, in ejus cava effundant humorem *."

xxxix. *Evi-*

* Vid. Morison. Disput. Inaug. *De Hydrocephalo Phrenitico*, § liv. Edin. ann. m,dcc,xcix.

XXXIX. *Evidentes.*—Quibus causis excitetur *hydrocephalus phreniticus*, nondùm certò sciunt medici. Quum autem hic morbus initio inflammationem habeat, verisimillimum videtur, causis moveri, quæ faciant, ut in cerebrum sanguis nimiâ copiâ et impetu diffundatur.

XL. Hujusmodi causæ sunt, vehemens exercitatio ; cranium præcipitationibus aut ictibus percussum ; caput diù demissum, ut in quibusdam lusoriis puerorum certaminibus accidit * ; frequens et vehemens infantum vagitus ; insolatio. His accedant, si auctoribus fidem ponamus, dentitio ; verminatio † ; febres, sive remittentes sive continuæ ;

* Vid. Rush. *Medical Inquiries and Observations*, &c. vol. ii. pag. 211.

† Rush. *Medical Inquiries*, &c. vol. ii. pag. 214.

nuæ *; phthisis pulmonum †; febris, quam excitant *variola*, *rubeola* et *scarlatina*.

XLI. Numne, utì dicunt nonnulli auctores, *hydrocephalus phreniticus* oriatur ex duritia *glandulæ pituitariæ*, capitis exhalatione suppressâ, urinæ impotentiâ, ruptis cerebri *lymphaticis*, et exsiccatis veteribus ulceribus ‡, nobis dubium videtur. Putamus, hujusmodi causis potiùs excitari eum *hydrocephalum*, quem, quippe à nostro prorsùs naturâ diversum, medici *LONGUM* appellent.

---

* Vid. LIEUTAUD. *Histor. Anatomico-Medic.* vol. ii.

RUSH. *Medical Inquiries*, &c. vol. ii. pag. 211.

† Vid. PERCIVAL. *Essays Medical, Philosophical, and Experimental*, vol. ii. pag. 339. et 340.

QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydrocephalo Interno.*

‡ Vid. LIEUTAUD. *Hist. Anatomico-Medic.*

RUSH. *Medical Inquiries, &c.* vol. ii. pag. 214.

XLII. *Continens*, — seu proxima *hydrocephali phrenitici* causa, olim, ubì morbi naturam medici nondùm intellexerunt, putabatur, esse aquosus humor in ventriculos cerebri effusus. Sic WHYTTIO videbatur, qui, haud secùs atque alii medici, pro morbo hydropico habebat*. Effusus autem humor, quippe cùm ex eo oriri non possint mala, quibus, primo morbi spatio, *hydrocephalici* urgentur, effectus potiùs habendus est, quàm causa.

XLIII. Veram hujus morbi naturam, et continentem causam, omnium primus, quantùm scimus, perspexit CULLENUS. Hic medicus, sagax in primis, signis perpensis, sibimetipsi persuasit, et dein QUINIO suggessit, continentem *hydrocephali phrenitici* causam eandem esse, atque cæterorum morborum qui inflammationem habeant †: et, utì pulmonum *pleu-*

*ræ*ve

* Vid. WHYTT. *Observations on the Dropsy of the Brain.*

† Vid. QUIN. Dissert. Inaug. *De Hydrocephalo Interno.*

*ræ*ve inflammatio haud rarò facit, ut humor aquosus in *pleuræ* saccum effundatur, et spiritum adeò impediat, ut æger suffocetur; sic cerebri ejusve *piæ matris* inflammationem efficere, ut effundatur similis humor, qui sensus stupefaciat, demumque, ipsis motibus vitalibus sedatis, sempiterno ægrum somno consopiat.

XLIV. Hanc (XLIII.) veram *hydrocephali phrenitici* causam esse, multa ostendunt. Primo enim morbi spatio, sanguinis, ex vena emissi et frigescentis, *fibrina* se à sero et rubris globulis dissociat, et supernatans, corium albidum repræsentat; haud secùs ac sanguinis eorum, qui *pleuræ* inflammatione laborant. Quinetiam, stimulantibus primo morbi spatio assumptis, omnia mala ingravescunt; dum abstinentiâ levantur, et exinanitione. Inflammatio, porrò, *piæ matris*, ut GREGORIUM et QUINIUM edocuerunt cerebrorum inspectiones, mortem nonnunquàm priùs affert, quàm ullus dum in ventriculos effusus humor est;

est; et haud dubiis tamen hujusmodi inflammationis malis ægri, ante mortem, afficiuntur.

XLV. Hâc opinione acceptâ, possumus intelligere, undè, primo morbi spatio, caput acutissimè doleat; undè oculi lumen refugiant, et admissâ luce doleant; undè, in auribus, dolorem moveant facientes sonos tremores; et undè somnus fessos oculos fugiat. Mala autem, quæ, secundo et tertio morbi spatio, ægrum premunt, ex effuso humore cerebrum urgente haud dubiè oriuntur; veternus, nempè, sopor, oculi perversi, ex una re duæ visæ, cæcitas, surditas, itemque nervorum resolutio et convulsiones.

CAP.

CAP. V.

De Diagnosi.

XLVI. PLURIMI cùm medicorum tum ægrorum interest, initio adversæ valetudinis discernere, quis morbus urgeat. Morbo enim incognito, medicus animi incertus est, quibus medicamentis ægro succurrat; atque, dum dubitat, occasio faustè opitulandi omittitur. Quippe, quos morbos nascentes potest levare aut tollere medicina, eosdem confirmatos vel inveteratos mitigandi curandive haud rarò impotens est, et nullum enimvero sæpiùs, quàm eum, de quo scribimus.

XLVII. Pauci morbi sunt, quos, haud dum confirmatos, difficilius est dignoscere à morbis, quibus est cum iis quandam signorum communitas, quàm *hydrocephalum phreniticum*.

Signorum

Signorum enim, quæ suprà narravimus, haud rarò constans neque concursus est, neque ordo. Quinetiam, eorum nonnunquàm abest unum alterumve, nonnunquàm plura. Namque nonnullorum, quibus, dum vivi, neque dolor capitis erat et membrorum, neque defectus stomachi, neque vomitus, neque pupillæ amplificatæ, neque delirium, neque perversi oculi, neque pulsus tardus et inæqualis; cerebrorum tamen ventriculi, post mortem, effuso humore aquoso distenti conspecti sunt, atque comprobârunt, *hydrocephalo phrenitico* vitam esse extinctam *.

XLVIII. Sed, utcunque difficile sit, utile tamen erit paucis dicere, quibus morbus, quem persequimur, dignoscatur ab iis, qui signis paucioribus pluribusve simulent; verminatione, scilicet, dentiendi difficultate, et *tabe mesentericâ*.

XLIX. *VERMI-*

* Vid. Rush. *Medical Inquiries, &c.* vol. ii. p. 209. et 210.

XLIX. *Verminationi*—et *hydrocephalo phrenitico* communia sunt, vomitus, dolor capitis, convulsiones, delirium, obscura febris, et pupillarum amplificatio. Medicus, qui animi dubius est, uter horum morborum urgeat, debet percunctari, ubì et qualis initio dolor capitis esset, et quam posteà partem occupaverit; qualis appetitus sit; astricta, an soluta, alvus; tumidum, necne, abdomen; atque observare, quemadmodùm se habeant oculi, nares, labrumque superius. His enim cognitis, plerumquè scire poterit, vermiculeturne æger, an *hydrocephalo phrenitico* laboret.

L. *Hydrocephalicorum* primùm summa cervicis vertebra dolet; dein alterutrum temporum, aut frons, aut vertex, aut occiput: et dolor acutissimus est; atque, quamvis ab uno haud rarò temporum ad alterum subitò pertendat, rarissimè tamen multùm remittit, dum effusus in ventriculos humor sensum hebetaverit. Verminantium, contrà, totum ferè caput æqualiter dolet; atque dolor, superquàm

superquàm quòd obtusus est, jam remittit, jam ingravescit.

LI. Quinetiam *hydrocephalici*, præ stomachi defectu, rarissimè cibos et potiones appetunt. Semel singulis diebus, vel biduo triduove, gravi vomitu urgentur. Tarda iis ferè semper alvus est; naturale verò abdomen. Contrà, vermiculatorum plerumquè vorax venter est; alvus fluit; tumet, et pressu dolet abdomen.

LII. *Hydrocephalicorum*, porrò, oculi initio lumen refugiunt; dein, præ nervorum torpore, admissam lucem parùm sentiunt; tùm, amplificatis pupillis, pervertuntur, et ex una re duas vident; demùmque prorsùs caligant. Verminantium verò oculi, quamvis eorum pupillæ aliquantùm dilatentur, nec lucis tamen impatientes sunt; nec pervertuntur; nec duas ex una res videre videntur; nec eorum demùm acies hebescit.

LIII. Ad hoc, nares *hydrocephalicorum* aridæ sunt, et neque earum alæ et columna, præter modum, tument, neque labrum superius. De naribus autem vermiculatorum continentèr destillat tenuis et acris pituita: quæ non solùm ipsas, et earum alas et columnam, itemque superius labrum, irritat et tumefacit; sed etiam harum partium tantum pruritum movet, ut ferè continuò unguibus carpi concupiscant.

LIV. *Hydrocephalicorum*, insuper, calor neque remittit secundo morbi spatio, ubì arteriæ tardè et inæqualiter micant; neque intenditur tertio, ubì æqualiter denuò et celerrimè. Verminosorum verò calor, pulsu arteriarum citato intenditur, tardato remittit.

LV. Huc accedit, quòd verminosi, præsertìm si nondùm septennes sint, haud rarò convelluntur: rarissimè *hydrocephalici*, nisi adventante morte.

LVI. Vermiculati, denique, inter somnum, dentibus stridunt subindè: non item *hydrocephalici*, nisi, ut interdum, eorum simul interanea vermes prædentur.

LVII. *DENTIENDI DIFFICULTATI*—et *hydrocephalo phrenitico* communia sunt, lenta febris, defectus stomachi, vomitus, dolor capitis, convulsiones. Ob hanc signorum communitatem, sæpè difficile in primis est discernere, utrùm infantes dentiendi tantùm difficultate ægrotent, an *hydrocephalo phrenitico*.

LVIII. Verùm cùm tamen difficultèr dentientium, *hydrocephalicorum* non item, alvus catharticis facilè moveatur; os incalescat; rubeant et tumeant gingivæ; oculorum pupillæ obscurâ luce sese dilatent, vividâ coangustent: medici, qui hæc sciunt, et in memoria retinent, plerumquè poterunt discernere, utro morborum infantes urgeantur.

LIX. *TABES MESENTERICA.*—Qui glandularum *mesentericarum* duritiâ tabescunt, eorum nonnunquàm arteriæ inæqualibus temporibus micant; at, secùs atque *hydrocephalicorum*, semper celeriùs, quàm, cæteris paribus, secundâ valetudine solebant. Extabescentium, porrò, *hydrocephalicorum* non item, abdomen intumescit, quasi incluso spiritu distentum; atque artuum musculi paulatìm marcescunt.

LX. Haud rarò *hydrocephalus phreniticus* in eodem ægro concurrit unà cum aliquo morborum, quos modò memoravimus; et, præ commixtorum malorum concursu, medicus animi dubius est, uter morborum primarius habendus sit, donec tempus auspicatò succurrendi præteriverit.

CAP.

CAP. VI.

De Prognosi.

LXI. QUUM *hydrocephalus phreniticus* plerumquè lethalis sit, semper periculosus; medici, quippe qui nullam dum sciant rationem, quâ certò curetur, nunquàm audent eo laborantibus salutem polliceri. Qui enim ab eo revaluerunt, ii sanè numero perpauci sunt, pro iis quibus mortem attulit. Ne unum quidem eo correptum servare potuit WHYTTIUS *. Viginti duobus laborantibus inauspicatò succurrit MONRO †; quadraginta GREGORIUS ‡. Hic verò medicus putat, se nupèr

* Vid. WHYTT. *Observations on the Dropsy of the Brain*, pag. 46. et 47.

† Vid. MONRON. SECUND. *Treatise on the Brain.*

‡ Aud. GREGOR. Prælect. *De Medicin. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

nupèr duos, hoc morbo affectos, ad sanitatem perduxisse.

LXII. Quanquam autem hic morbus sanatu difficillimus est, et persæpè lethalis; medici tamen non debent desperantèr ægris subvenire, et verbis discrimen aggravare, quo versentur. Nonnulli enim, ut perhibent DOBSONIUS, et PERCIVALIUS, tempestivâ medicinâ ad sanitatem pervenerunt. Ex viginti ægris, quibus medicinam fecit hic medicus, convaluerunt undecim. RUSHIUS *, ut ipse scriptis testatur, hunc morbum compluries curavit; bis RUTHERFORDIUS †.

LXIII. Quo diutiùs continuavit morbus, quem persequimur, eo majus periculum urget, eoque minor ægrum manet spes. Ubì inveteravit

* Vid. RUSH. *Medical Inquiries and Observations*, vol. ii. p. 217.—223.

† Vid. MORISON. Disput. Inaug. *De Hydrocephalo Phrenitico*, § XCV.

ravit morbus, et supervenerunt stupor sensuum, sopor, pulsus celerrimi et inæquales, æger servari non potest. Convulsiones quoque nullam spem superesse testantur, et mortem denunciant.

LXIV. Nonnulla, contrà, spes superest, ubì pulsus arteriarum fiunt tardiores, et cùm vi tum temporibus æquales, simulque remittit insolitus calor corporis; ubì æger minùs rariùsque vexatur nauseâ et vomitu; ubì dolor capitis remittit, et lumen minùs refugiunt oculi.

CAP. VII.

De Curatione.

LXV. In primo spatio morbi, quem persequimur, medicorum est inflammationem, quæ tùm urget, discutere; in secundo et tertio facere, si possint, ut effusus humor, qui tùm cerebrum urget, et sensus stupefacit, à vasis, si qua, bibulis resorbeatur. Quâ ratione, et quibus medicamentis atque remediis, hæc exsequi aggrediantur medici, paucis exponere nobis in animo est.

LXVI. *Consilium primum.*—Quò digeratur inflammatio, opus erit, non solùm ut æger abstineat ab omnibus, quæ cor et artérias incitent, sed etiam nimios eorum motus sedare.

LXVII. *Abstinentia*—consistit cùm in vitando calore, luce, sonis, locutione, vehemente exercitatione; tum in abstinendo à carnibus, et vino, quæ cor et arterias, et totum quidem corpus, multùm stimulant.

LXVIII. *Exinanitio.*—Ad inflammationem discutiendam non satìs, per se, valet abstinentia. Prætereà necessarium est materiam demere ex corpore, aut mittendo sanguinem, aut alvum exinaniendo.

LIX. Sanguis mittendus, necne, sit ex brachio eorum, qui *hydrocephalo phrenitico* urgentur, inter medicos discrepat. Quòd hic morbus brevi, mirum in modum, corpus debilitat, et, quibus obrepit, ii plerumquè infantes aut pueri sunt, qui, præ tenera ætate, sanguinis jacturam malè ferunt; nonnulli idcirco medicorum timent venam incidere, ne, fluente sanguine, vires, quæ supersunt, fugiant, et mors gradum acceleret.

LXX. RUSHIUS

LXX. RUSHIUS autem, consideratâ morbi naturâ, timorem, quippe qui ei vanus videretur, exuit; et vel infantum tenerorum brachiis ausus est sanguinem semel iterumque emittere. Sanguine sic misso, adjuvantibus simul aliis medicamentis et remediis, septem *hydrocephalicos*, quorum quatuor erant infantes, percuravit *.

LXXI. Ubì igitur medicus animi dubius est, an idoneum sit brachii venam secare, debet, non tam quâ ætate æger sit, considerare, quàm quæ vis inflammationis sit, quæ corporis vires; atque, his cognitis et ponderatis, judicare ac secum statuere, sit, necne, sanguis mittendus. Si magna vis inflammationis urget, et æger est sanguine plenus, et, pro ætate, corpore validus; venam brachii semel, iterumque, imò, si opus, sæpiùs incidendam curare, nobis idoneum videtur.

F LXXII. Quum

* RUSH. *Medical Inquiries and Observations*, vol. ii. p. 217. et 222.

LXXII. Quum ad inflammationem digerendam tantùm valeat parva sanguinis copia, ex parte quàm proximâ emissa, quantùm major ex brachio, aliâve quâlibet parte ulteriore; sunt, qui putent, *hydrocephalo phrenitico* recente, sanguinem ex arteria alterutrius temporum detrahere, aut alterutrâ externarum juguli venarum, plùs multo profuturum. Haud equidem dubitamus, quin melius sit ex alterutra harum partium sanguinem elicere, modò adsit chirurgus usum habens, et manu promptus, qui venam arteriamve incidat. Sed non aliter; namque multæ res incisionem difficilem inscio faciunt, quæ perito facillima est.

LXXIII. Quòd si opus est vim inflammationis sedare, neque tamen, præ debilitate, tutum est venam arteriamve incidere, oportet ministris hirudinibus, aut cucurbitulis cum ferro, ex temporibus sanguinem emittere. Debilibus autem hoc, utì magis tutum auxilium est, ità minùs efficax remedium.

LXXIV. Quum

